

A Quid calidum innatum ex authoris opinione in qua Galenus explicatur. Cap. VI.

V V M multis modis calidum innatum à Galeno sumatur, nec eos vnquam ille distin-
xerit, tanquam de eadem perpetuo loqueretur, maximam confusionem, & difficulta-
tem omnibus peperit. Quod si quis distinctione in hac re vtatur, & singulis tribuat
eam naturam, & vim quam oportet, intelliget vera esse, quæ ab eo authore scribuntur,
agnoscatq; non esse ad cœlestes naturas confugiendum, quum in nostris principijs
inueniatur, quod totam hanc rem de calido innato, ostendere valeat: quod iam docere aggredior. Igi-
tur cum nullum corpus verè innatum esse possit, nisi quod nostræ generationis est principium, & no-
bis in ipsa generatione insitum (siquidem alia omnia ex illis fiunt, & acquiruntur) constat solù san-
guinem, & semen, ex quibus partes primò constituuntur, verè esse innata, & insita corpora: quæ cum
plus habeant caloris, quàm frigoris, ab eo quod in illis præpollet, nomen sumentes, calida innata, id-
est calida corpora innata dicuntur, quod à parentibus sunt insita, tanquam prima principia: aliæ verò
partes, eò quod fiant, & acquirantur, ex illis principijs, innata dici nequeunt corpora. Vera ergo
calida innata sunt sanguis, & semen, ex quibus partes similes & aliæ postea constituuntur, & sequun-
tur. Hoc modo calidum innatum sumplit Galenus, in libello quem scripsit aduersus Lycum, vbi eadē
quæ nos de hoc calidi innati significatu ad verbum ferè scribit, docetq; quæ ea duo corpora, calida
sunt innata, alia verò, quæ ex illis fiunt, nequaquam ita dici debeant. At quum sanguis, & semen aereæ,
aqueæque substantiæ plurimum in se contineant, non mirum, si ille aliquando calidum innatū, aereæ,
aqueamq; substantiam vocet. Caterum quum sanguis ille, & semen definant esse factis partibus cor-
poris, nequeunt profectò ea amplius calida innata nominari. Quis enim dicet plurimum inesse calidi
innati eo modo in pueris? quum semen & sanguis, ex quibus illorum partes sunt concretæ, non am-
plius sanguinis, seminisq; naturam, & appellationem retineant, quò fit, vt eam quoq; substantiam ca-
lidam, quæ ex primis principijs in singulis partibus est, calidi natiui nomine donare nos oporteat: In
qua significatione dictum puto, pueros plurimum habere calidi innati, vt qui parum recedant ab ortu,
minimumq; consumptam habeant eam substantiam, quæ in sanguine, & semine erat copiosissima, ac
ætatis cursu, vi caloris perpetuò digeritur, absumiturq;: propterea corpora animalium tanto molliora,
humidioraq; esse sentiuntur, quanto minus, ab ortu suo recedunt. Quoniam verò calor qui singulis
partibus ex primis principijs est insitus, tepidus quidam calor est, & potentia potius, quàm actu, nec
non substantia ea insita, promptè, citoq; dissolu: a periret, nisi alia ei similis, maiore tamen calore præ-
dita afflueret, quæ innatam restitueret, & conseruaret, illiusq; calorem excitaret, ob id spiritum, & san-
guinem, quæ in nobis ex victu gignuntur, calidum natiuum vocat Galenus: non quod reuera natiuæ
sint huiusmodi substantiæ, quippe cum post natiuitatem in nobis proueniant: sed ita dicuntur, quod
eas conseruat, quæ veræ sunt innatæ. Spiritu enim admodum calido a corde proficiscente, deductoq;
per arterias, ac singulis partibus distributo, insitus singulis mēbris calor excitatur, vegetusq; euadit, &
idoneus ad proprias actiones obeundas: sanguine autem potissimum ab hepate emanante, digesta ca-
loris vis, & substantia reponitur restauraturque. Quamobrem optime Galenus in libro de venæ sc-
ctione, ex sanguine natiuum calidum perseverantiam habere scribit: indicans sanè influentem sangui-
nem non esse verum innatum calidum, sed ita dici, quod verè innatum conseruet, & foueat. Id quod
pariter in libro de formatione foetus testatur, quum ait duplicem esse calorem innatum, vnum insitum
singulis partibus, tepidum, & aeri contento in aliquo cubiculo similem alterum verò à corde profici-
scentem in singulas partes, illarumq; caloremq; augentem. Quomodo enim alioqui calorem à corde
influentem, innatum vocaret? cum repugnet influere aliquid, & insitum esse: vel omni vitæ tempore
gigni, et solum in ipso ortu inditum, nisi improprie innatum intelligeret, quòd scilicet verum innatū
augeat, cum quo eiusdem est naturæ. Gignuntur namque partes, augentur, & conseruantur ex
sanguine. At verò cum omnes actiones natiuo calori tribuantur acceptæ, sit autem qui insitus est
(vt diximus) veluti potentia, qui verò aliunde influit, per se non agat, sed cum alteri coniungitur: ni-
mirum cum non humorum, aut spiritus sed partium viuientium vita, & actiones sint, non immeritò
etiam innatum calorem, calidumq; vocabimus, quod ex natiuo, & confluyente resultat: quod si ita est,
quid obstat, quo minus dicamus ex Galeni sententia, quatuor modis dici calidum innatum? Est eni-
m imprimis sanguis, & semen, & quibus vniuersæ animantis partes, eo authore, fiunt: deinde calida sub-
stantia, quæ ex illis post generationem, in singulis partibus relinquitur: tertia influens, quæ nihil aliud
est, quàm sanguis, & spiritus, qui in nobis gignuntur, & à suis fontibus, per arterias, & venas, tanquā
per riuulos quosdam, in omnes partes sparguntur. Verum etsi vniuersum sanguinem intelligere
possumus nomine calidi innati, tamen illius portio tenuior, & purior, maxime est calidum innatum:
illa enim apta est in omnes partes ocissimè moueri, & vim omnem exercere, quam natiuo calido
tribuimus. Quarta quæ ex innata substantia calida, & influente coniunctis resultat: Ita ergo
& calor innatus quadruplex: vnus qui in primis principijs est implantatus: alius qui humidæ
substantiæ ex principijs derelictæ est insitus: tertius qui influenti calido inest: quartus qui
influentem